

autem compactionem vellet ipse significare alio loco expressit.

Ἐπηξεν δὲ καὶ πολὺν ὄμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν

Τὸ πῦρ πρὸς τὸ πῦρ ἀναγκάσας.

Compegitque multum cœlum astrorum inerrantium.

Ignem ad ignem cogens.

Compegit inquit astra, ignem ad ignem coagmentando, et ignem cum igni componendo. Quia scilicet antea ex eius sententia sint ignes. Ignem autem quis umquam vidit uti nodum in tabula, rei ulli infixum? Hæc igitur astrorum fixio, ex Zoroastri dogmate, nihil est aliud, quam ignis compactio, et coagmentatio. Quem locum si Chaldæi eius successores, a quibus videtur, omnis Astrologia, in Ægyptios, ac Græcos derivasse, recte intellexissent, nequaquam tradidissent, stellæ cœlo esse infixas. Si tamen ab eis hæc opinio venit. Sed fuerit hæc vel non fuerit Chaldæorum sententia, ad præseatem rem haud multum facit. Res est ad suam naturam revocanda, atque ea discutienda, utrum revera stellæ sint cœlo fixæ, vel ut nodi in tabulis, vel alio modo ullo. Hanc igitur disquisitionem ingrediamur, dicentes, Ætheris, sive cœli corpus necessaria divisione, vel liquidum corpus est, vel solidum, vel inter utrumque medium. Hæc omnia membra discutiamus. Sano si liquidum sit, uti poetæ quidam cecinerunt, ad fixationem omnem est ineptissimum. Quo enim modo quis, vel fingere mente possit, in æthere ipso, ut videtur ære puriore, tenuioreque, aliquid posse infigi? Quod perpetuo, undequaque arcte coactum vinciat? in ære hoc nostrate infimo, æris totius parte crassissima, quis unquam quicquam infixum vidit? Neque etiamsi nebula interveniente fiat crassissimus? Quid dico in ære qualicumque, quando nec in aqua, nebuloso ære, longe crassiore, et densiore, nihil vel a natura videmus infixum, vel humano ingenio, aut artificio ullo infigi posse. Oleum concretius est aqua. Lac, oleo, mel lacte, pix melle: nihil tamen eis infigi potest. Neque enim hæc et talia, se ipsa ullis terminis continere possunt, nedum alia contineant. Imo sit necesse, si consistere debeant, ut ipsa a solidis corporibus contineantur. Si ergo nec ær, aut tenuis aut crassus, nec aqua, liquida corpora, neque crassissimi humores, oleum, lac, mel, Pix, Bitumen, qui inter liquida, et solida, naturam videntur tenere mediam, sibi infigi, solidiora corpora patiuntur, ita ut eis manendi in se vim afferant, quid dicendum erit de æthere, si ære etiam purior esse comperiatur? Si talis sit, quomodo, extrema illa, quam putant sphæram, vel octavam, vel nonam, vel etiam decimam in mundum Empyreum qui extra æthereum cœlunt est, non effundetur? Quo modo, etiam ad nos non decidet, si inter liquidum et solidum sit medium? Quo item modo, tam vehementi, ac citissimo rotatu, et tam perenni non dispergitur? Quo modo ingentia tot corpora terra etiam, ut afferunt maiora, tam liquidum et inconstans, et fluidum corpus vel paruum aliquando per æra ferat, haud multo post dimittit; illud decidit, et suum locum petit. Follibus ær diverberatur; flatu etiam oris pellitur; illa ineffabili, incogitabilique rotatu, atque perpetuo infixæ rei ære tenuiori, permanebunt? Lapilli in aquam iactus, in circulos eam dimovet innumeros, lapis tamen ille, ibi non figitur. Itaque cum in liquidam apud nos rem, et in mediam quoque fixio nulla fieri possit, in liquido æthere quomodo fiet? Quomodo in perpetuum perseverabit? Duobus ergo prioribus membris nullo modo stellæ cœlo infixæ esse possunt. Tertio inquiet possunt. Quia cœlum, non liquidum, non medium, sed solidissimum est corpus. Quod Orpheus, et post eum Homerus sunt testati, quando *χάλκεον οὐρανὸν*, æreum seu ferreum dixere cœlum. Hanc quoque positionem consideremus. Suppurant Astronomi tantam est firmamenti in æquatore velocitatem, ut hora una conficiat milliaria 42398437 cum dimidio. Quam celeritatem, inquiunt, si apud nos, Avis aliqua nanciscatur, unius horæ spacio, totam sub æquatore terram 1884 vicibus circumvolabit. Et plusquam septies, circuibit, tanto tempore, quanto una salutatio angelica peroretur. Quæ velocitas profecto, ita ingenii humani captum omnem superat, ut necesse sit, eam inpossibilem haberi. Attamen si vera sit, quæ nam ærei, aut ferrei cœli soliditas tanta sit, ut tam rapida et continua vertigine non dirupatur, et in frustra non